



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Reginonis Abbatis Prumiensis Libri Duo De Ecclesiasticis  
Disciplinis & religione Christiana**

**Regino <Prumiensis>**

**Parisiis, 1671**

415. De eo qui patrem vel matrem inhonorat.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14622**

Episcopus qui eum excommunicavit, ante januas Ecclesiæ venire debet, & duodecim Presbyteri cum eo, qui eum hinc inde circumstare debent. ubi etiam adesse debent illi quibus injuria vel damnum illatum est. & ibi secundum leges divinas & humanas oportet damnum commissum emendari, aut, si jam emendatum est, eorum testimonio comprobari. Deinde interroget Episcopus si pœnitentiam, juxta quod canones præcipiunt, pro perpetratis sceleribus suscipere velit. Et si ille terræ prostratus veniam postulat, culpam confitetur, pœnitentiam implorat, de futuris cautelam spondet, tunc Episcopus, apprehensa manu ejus dextera, eum in Ecclesiam introducat, & ei communionem & societatem Christianam reddat. Post hæc secundum modum culpæ pœnitentiam ei injungat, & litteras per parochiam dirigat, ut omnes noverint eum in societate Christiana receptum. Aliis etiam Episcopis hoc notum faciat. Nullus autem Episcopus alterius parochianum excommunicare vel reconciliare præsumat sine conscientia vel consensu proprij Episcopi.

De eo qui patrem vel matrem inhonorat.  
*Ex Concilio Rotomagensi.*

CCCCXV. Si quis patrem aut matrem percutit, aut maledicit, quia capitalia crimina commisit, publicam inde pœnitentiam agat, sicuti de gravioribus peccatis. Ait enim Dominus: *Qui maledixerit patri vel matri, morietur.* Quem enim Dominus dignum morte judicat, proculdubio pro homicida tenetur,

DE ECCLES. DISCIPLINIS. 367  
& sicut homicida debet pœnitere.

De bubulcis & porcariis , ut ad Missam  
veniant saltem in dominicis diebus.

Vnde suprà.

CCCXVI. Admonere debent sacer-  
dotes plebes sibi subditas ut bubulcos atque Burchard. lib.  
2. c. 71.  
porcarios vel alios pastores vel aratores , qui  
in agris assiduè commorantur vel in silvis , &  
ideo more pecudum vivunt , in dominicis &  
in aliis festis diebus saltim ad Missam faciant  
vel permittant venire. Nam & hos Christus  
pretioso sanguine suo redemit. Quòd si negle-  
xerint , pro animabus eorum absque dubio ra-  
tionem se reddituros sciant. Siquidem Domi-  
nus veniens in hunc mundum , non elegit ora-  
tores atque nobiliores quosque , sed pescatores  
atque idiotas sibi discipulos adscivit ; ut ostend-  
eret in facto quod ipse verbo in evangelio ad-  
firmat dicens : *Quod hominibus altum est , abo-  
minabile est apud Deum.* Et salva altiore intel-  
legentia , nativitas nostri redemptoris primò  
omnium pastoribus ab angelo nuntiatur.

De confessione , de pœnitentia , de decimis ,  
& de ebrietate , & de vomitu post eucaristi-  
am , in primo libello suprà expositum est.

De pauperibus , qualiter alantur.

*Ex Concilio Turonensi.*

CCCCXVII. Unaquæque civitas pau-  
peres & egenos alimentis congruentibus pas- Concil. Tu-  
ron. 2. c. 5.  
cat secundùm vires , & tam vicini Presbyteri